

Von M. Gotthilf Kriesten d. 10. Februar 1806.

44

DE
**FEBRE
CATARRHALI MALIGNA
EPIDEMICA
ANGINA GANGRAENOSA
STIPATA**

PRAESIDE
VIRO ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO
DOMINO
D. PHILIPPO ADOLPH. BOEHMERO

MEDICINAE ANATOM. ET CHIRVRG. P. P. ORDINARIO,
ACADEMIAE CAESAR. NAT. CVRIOIS. ITEMQVE IMPERIAL.
PETROPOL. NEC NON REGIAR. BEROL. SCIENT. ET PARIS.
CHIRVRGOR. SODALL.

P R O

G R A D V D O C T O R I S
SVMMISQVE IN ARTE MEDICA HONORIBVS RITE CAPESSENDIS

D. XVIII. FEBR. C^l C^l CC LXVIII,

PVBLINE DISPVTABIT

A V C T O R

CHRISTIANVS GOTTLLOB CONRAD HERTZOG
ANHALTINVS.

HALAE AD SALAM AERE BEYERIANO.



EEBRE
CATARRHAI MALTGINA
PIDIEMICA
VENEZIENOSA
SIRATA

AD HABITAT CULTIVATISSIMO ET EXPERIMENTISSIMO
DOMINO


D PHILIPPO ADOLPHI BOCHUMERO

MICINIANA ANATOMIA ET CHIRURGIA A S. DOMINICO
AGADINAE CAVILLI NAT. CLARIS. ILLIBR. IMPERIAL.
MELONIO. NEC NON TROPIC. MORBI. SCIENTIA ET MUS.
CHIRURGICOR. DOCTOR.

GRADA DOCTORIS
SWWYGAE IN ARTE MEDICO HONORIBVS RITR. CLEVERENSIS
A. ZUM. 1512 CELEBRANT

PARTIC. PREPARAT.
ACTOR
CHRISTIANUS GOTTLOR. CONRAD HERSTOG
HERSTOG

HALLAE AD SALAM. ALICE. DULCISSIMA.



DISSERTATIO MEDICA
DE
FEBRE
CATARRHALI MALIGNA
EPIDEMICA
ANGINA GANGRAENOSA
STIPATA.

§. I.

 Exantlatis studiis, arti medicae addiscendae sacris,
ne a more maioribus faneito recederem, de in-
augurali themate cogitare coipi, et epidemi-
ce, in Hercinia regionibus, grassantis febris malignae catarrha-

A 2

lis

lis delineationem speciminiis loco exhibere, constitui. Semper enim mihi arridebant conamina eorum, qui nec speculationibus, nec subtilitatibus, ab hypothesibus petitis, quae nullum fere commodum ac emolumentum arti medicae, verum ut plurimum plus detrimentum adferunt, chartas adimplent; sed potius intima naturae penetralia, pro eo, quo pollut, ingenio et acumine perscrutantes atque introspicentes, eiusmodi cogitata cum orbe eruditio communicant, quae, ab observationibus profecta, medico non solum iuueni, verum etiam exercitato, maxime vtilem largiuntur cognitionem. Accurateae scientiae morborum delineationes, ab eorum phaenomenis cauissime, sensus incurrentibus, desumptae, ad summum iam euixerunt artem medicam fastigium. Ehim vero quis nescit, ex absolutissimis, quas magnus Hippocrates eiusque affectae suppeditarunt, morborum delineationibus, plurimorum morborum notitiam moderni aevi Medicos magna ex parte comparasse? Mira ideo ducti cupidine, veterum vestigia premendi, ut paulo accuratius abscondita naturae opera intellegirent, passim etiam grassationes epidemicas magna cum attentione describere, posterisque memoriam eorum non solum relinquere satagerunt, verum etiam, ut, postpositis subtilitatibus, nihil frugis

ad-

De febre catarrhali maligna epidemica, angina gangraenosa stipata. 5

adferentibus, morbos, corpori humano infidias struentes, obseruan-
do imposterum quoque notarent, sedulo inculcarunt, eo semper ma-
gis id vtile esse censerent, quo atrocus tyrannidem suam obuius exse-
rat morbus. Neque credo ideo, fore quosdam (inter eos certe,
qui scientiae medicae pomoeria extendere omnibus viribus conan-
turi, qui perpendunt, epidemias ignotos nonnunquam antea mor-
bos magis cognitos reddere, diuersamque saepe et symptomatum
et methodi medendi rationem ostendere) qui epidemicam februm
malignarum grassationem, ab accurata obseruatione petitam, sine
utilitate depingi censemant. Historia morbi, quem sequentibus
plagulis descriptum dabo, a Viro, in arte medica famigeratissimo,
accurate delineata mecum communicata est. Cum autem phae-
nomena, ab eodem Viro, minime sint demonstrata, nec curationem
ciusdem mali, mecum communicauerit, in eius caussa, phaenomenis,
et methodo medendi enodandis, explicandis et stabiliendis vires meas
tentauit, qua in re, an propitia mihi fuerit Minerua? penes L. B iudici-
um esto. Quod ad tractationem ipsam attinet: prolixum esse ve-
tant limites huius Dissertationis; quare nec plurium auctorum te-
stimonia adducam, paucissimis hac in re contentus, ad illustrandam

Dissertatio Medica

meam sententiam, mihi maxime necessariis visis. Arque id imprimis de curatione morbi valet. Haec enim cum ex plurimis scriptis medicis desumi possit, ne actum egisse videar, facta breui indicatione, ad euoluenda eorum scripta remittam.

§. II.

In Hercinia regionibus 1752 mense Iunii febris quaedam tyrannidem suam exercere coepit, infantes ex abrupto, p[re]ae ceteris pueros puellulasque, a dimidio ad XIV aeratis annum, aggrediens. Ab eius principio, nonnunquam etiam diu ante ipsum febris ingressum, de summa prostratione virium et membrorum pondere, cum praecordiorum anxietate insigni, frigore, aestu, siti, plus minusue intensis, tussi, faucium dolore, difficulti respiratione, inquietudine, tristitia, ciborum fastidio, vomitibus interdum, plerumque bono cum euentu intercurrentibus, vel narium haemorrhagiis, conqueabantur, facie simul pallida et emaciata apparente. Non defuerunt tamen, quibus adeo tectas iste morbus infidias struebat, ut aliquot demum ante mortem horis lectum peterent. Deglutitionis ceterum et respirationis organa tumores, in plurimis certe, obsidebant,

De febre catarrbali maligna epidemica, angina gangraeno/a sifipata. 7

bant, in partibus potissimum internis sedem suam figentes, tantaque non raro miseros aegros atrocitate afficientes, ut nec deglutire, nec aërem capere potuerint. Fauces adspicientibus albicantia in utero que latere apparebant tubercula, quae parua ab initio, maiora semper incrementa capiebant. Nonnunquam tumores isti euanescabant, magis vero pectus dein affidentes malum non leuabant. Interdum vesiculae os internum et fauces obsidebant. Multis quoque tumores quidam, loca circa pudenda, anum, umbilicum et digitos occupantes, contingebant, qui vagi in principio, demum fixi, ad maturationem perduci materiem foecitissimam eructabant, aegris non semper tantum inde leuatis, ut mortem effugerent. In nonnullis alia quoque exanthemata obseruabantur, vesiculae variae, maculae, purpura, quae nucham, collum, pectus, abdomen totamque etiam peripheriam afficiebant. Neque horum etiam eruptionem certa semper fatus subsequebatur. Licit enim interdum morbum minuerent, non raro tamen nihil emolumenti afferebant, cito potius euanidi redditi, anxietatem aliaque symptomata augebant, mortemque accelerabant. Vrina aegrotorum rubro tingebatur colore, exhalationes vero decumbentium abominabilem spargebant foetorem. Nulla ceterum deli-

ria

ria aderant. Somnus erat fere naturalis, sola anxietate interruptus. Aliuina excretio ut plurimum minime languefiebat. Neque sudores obseruabantur, ni forsitan calore externo vsuque calefacentium malum valdopere augmentum, protruderentur. Aegri intra secundum et quintum morbi diem fatis cedebant. Quorum vero morbus octauum aut decimum excessit diem, sanitatem, atque, quod miraberis, satis cito recuperarunt, remanentibus interea per aliquot a superato morbo tempus, faucium et pectoris incommodis, difficulti deglutitione, dolore, arrosione, yitiis loquelaet et russi. Satis cita solutio morbi, haemorrhagiis narium, vomitu, russi, exanthematum eruptione, sudore critico absoluiebatur. Defunctorum autem cadavera, oppleta erant maculis rubris coeruleisque, et sanguis adeo resolutus et corruptus erat, vt e pudendis non raro ichorosus promanaret. Licit praeterea hoc malum tyrannidem suam potissimum, vt diximus, in infantes exercuerit, minime tamen adulti plane immunes erant, isti maxime, quorum vires attritae. Minus interea his lethalis erat, sed cum priflina sanitate in gratiam redibant. Epidemica demum haec grassetatio, per sex circiter menses durando, haud exiguum numerum eneauit, morbo saepe saepius calefacentibus tractato.

§. III.

De febre catarrhali maligna epidemica, angina gangraenosa stipata. 9

§. III.

Notabilis huius morbi natura, vt magis pateat: casus quos-dam speciales adiungam, a Celeberrimo Viro, quem laudaui, mecum beneolle communicatos. Atque, ne mea forsitan culpa quid-quam ipsis decedat, satius esse duco, ea eos lingua suppeditare, qua mihi perscripti sunt.

Casus I.

Eine Frau, welcher zwey Kinder an dieser Krankheit geflorben, sagte von dem erstern, welches drey Jahr gewesen, folgendes aus: das Kind hätte einen Schaden an der rechten Hand und dessen Zeigefinger bekommen, welcher ganz schwarz worden. Ein dasiger Chirurgus hätte das Fleisch ganz davon geschnitten mit der Versicherung, es sollte nun weiter nichts zu sagen haben. Dem ohnerachtet hätte sich der Halschaden mit wenig Hitze und Frost eingefunden; es wäre dabey be-ständig herum gegangen, doch wäre es des Nachmittags kränker gewe-sen, als des Morgens. Zuletzt hätte es nichts mehr hinunter bekom-men können. Im Halse an beiden Kinnbacken wären zwey weisse Za-pfen gewesen, wobey sie wahrgenommen, daß der Hals äußerlich ein
vvenig

wenig geschwollen, doch hätten sie keine Klümper gefühlet. Das Kind wäre sehr engbrüfig gewesen, Ohngefähr sechs Stunden vor seinem Ende hätte es sehr stark gehustet, und dabej vielen weißen harten Unathl ausgeworfen. Es hätte wenig geschlafen; der Urin wäre roth gewesen, und nach seinem Tode hätte es um den Nabel blau ausgesehen.

Casus II.

Das zweite Kind von fünf Jahren hätte anfänglich über den Kopf geklaget, hierauf hätte sich am Ano ein kleiner Schorf gesetzt, derselbe wäre immer größer voruden, bis die Præputia so stark geschwollen, daß es kein Wasser hätte lassen können, (bey männlichem Geschlecht ist das Serotum sehr stark und dick geschwollen). Es hätte immer geschrrien: wenn ich doch nur das Wasser lassen könnte. Kurz vor seinem Tode wäre ihm sehr angst gewesen, und 24 Stunden vor seinem Ende wäre es ihm in den Hals gezogen, die Brust hätte ebenfalls stark geröchelt, wobey es vielen Unathl ausgeworfen. Der Urin wäre roth gewesen, und der Leib verstopft. Sie hätte ihm Mause-Dreh des Tages zwey mahl in warmen Bier gegeben

De febre catarrhali maligna epidemica, angina gangraenosa stipata. 11

geben, vvor nach Oeffnung erfolget. Nach seinem Tode vvüre es gantz blau gevorden mit rothen Flammen vermischt. Aus den pudendis vvüre nach dem Tode ein vvenig Blut gelaufen,

Casus III.

Ein Kind von einem Jahre und sechs Wochen, hätte den Hals schaden mit der Hitze und einen kleinen Schauer bekommen. Es vvüre anfangs vvie ein Schnupfen geviesen, vvobey ihm vieler Unflathe aus der Nase gelaufen, und aus dem Munde Speichel. Es hätte viel getrunken, im Munde hätte es viele vweiße Bläggen gehabt, vvobey die Zunge geschvollen, dafs es nicht saugen können. Der Stuhlgang vvüre ordentlich geviesen, und der Urin sehr roth. Drey Tage nach der Krankheit hätten sich äußerlich am Halse unter beyden Ohren bis an die Kinnbacken, an ieder Seite ein Klümpgen hervorgethan, vvelches von bey den Seiten immer weiter bis nach der Gurgel sich gezogen, vvor auf es 24 Stunden vor seinem Tode starken Husten, schuveren Othem und greuliche Angst bekommen, bis es gestorben. Bey der Krankheit hätte es heflich aus dem Halse gefunken, dafs denen Umstehenden auch dabey

übel gevordern. Wie es sterben vvolten, hätte es stark bey schuveren Othemholen geröchelt, daß auch äußerlich an der Brust ein tief Loch gevordern. Man hätte auch gesehen, daß es vielen Unflath im Halse gehabt, voran es erflicken müßten. Nach seinem Tode hätte es an denen Lenden, und unten am Leibe rothe Flecken gehabt. Sie hätten dem Kinde gebrannt Hirschhorn und Hirschtränken gegeben. In Wasser hätten sie Himbeerenmüs und Ingber gethan, so es trinken müßten.

§. IV.

Ex reconsita huius morbi epidemici historia id manifestum esse credo: eum *febrem* constituisse *malignam*. *Febris* indicia sunt: frigus, aestus, sitis. Malignitatem autem produnt: Grauia et inconsueta symptomata; citissimum vitae periculum, quod intulit; insidia, quas, tecta nonnumquam ratione incedens, vitae aegrorum struxit; tristitia, demum omnium rerum fastidium, debilitas insignis, facies collapsa. Quacunque enim ratione malignitatis saepe minus recte intellectam vocem interpreteris, manifesta semper eius signa in depicto morbo deprehendes.

§. V.

De febre catarrhalis maligna epidemica, angina gangraenosa stipata. 13

§. V.

Intelligitur porro, febrem hancce malignam, *febris catarrhalis malignae* genio quam proxime accedere. Angina enim, tussis, feri stillicidium e naribus (Caf. I.), febri catarrhalis respondent. Qui vero perpendit, exanthemata enata esse; fluida euacuata abominabilem prae se tulisse foetorem; maculas coeruleas rubrasque, cum haemorrhagiis proxime a morte obseruatas esse; respirationis, deglutitionis et anxietatis incommoda insignia fuisse: is certe de malignitate febris catarrhalis minime dubitabit.

§. VI.

Demum *angina gangraenosa*, (maligna ab aliis, pestiferalis et ulcerosa a SEVERINO vero Paedanchone maligna dicta) huic febri accedens, singularem eius naturam prodit. Nouus fere iste morbus existat infantibus puerisque maxime familiaris, ab ARETAEO iam (Lib. I. Cap. IX.) descriptus. Recentius dein eum SEVERINVS, BARTHOLINVS, FOTHERGILL, HVXHAM, CHOMEL, GARNIER, MALOVIN alii delinearunt, cum frequentiore graffatione Italis, Gallis, Anglis, Hispanis et Belgis magis se notum reddiderit. Symptomata, quae laudati Viri

anginae malignae et vlcerosae adsignant, exacte illi respondent, quam in aegris supra notauiimus. Adspectus partium adfectorum, foetor oris, exanthemata concomitantia, insigne periculum, materia excreta et reliqua consentiunt. Nonne itaque descriptum morbum nobis representare licebit, ut *febrem catarrhalēm epidemicā malignām, cuius miasma, ad fauces potissimum dēolutum, anginam gangraenosam symptomaticē produxit?* Vel brevius: fuit angina gangraenosa.

Stabilita oris et pulm. §. VII.

Stabilita morbi natura, ad determinandas illius caussas transco. Proxima sine dubio erat *vera humorum putredo.* Foetor enim tam oris, quam materiae excretæ abominabilis, insignis sanguinis resolutionis, per exanthematum a morte eruptionem et haemorrhagias declarata, color macularum coeruleus, satis manifesta sunt putredinis indicia. Neque difficulter inde symptomata huius morbi eruuntur; sua de re dein dicam.

Quod caussam remotam attinet: recte, credo, humidus putridus vaporibus refertus accusatur aer. In cibis enim potue vix quidquam mutatum erat; aer autem humidus deprehendebatur. §. VIII.

Aestates



De febre catarrbali maligna epidemica, angina gangraenosa stipata. 15

Aestates enim, epidemiam proxime antecedentes, frequentioribus pluviis famosae, aquas stagnantes, innumera insecta generarunt. Illae quidem, ipso calore et quiete putridae redditae; haec vero mortua, hincque in putredinem abrepta, nocuius vaporibus atmosphaeram inquinarunt, eo certe magis hic pestiferis, quo minus loca montana propellendis aëris corruptionibus fauent. Patet inde putredinis origo (§. anteced.). Humidus enim aër, laxando solida, putredinem inducit, multoque magis, si putridas contineat particulas, quae facultate sana sibi fluida assimulandi instructae, late per corpus putredinem diffundunt. Confirmantur haec, quae de hac anginae gangraenosae et malignae causa diximus, aliorum obseruatis. *Aretaeus loco cit. dicit:*
Regio Aegypti horum affectionum plane foecunda est — Syria quoque; maxime illa, quae καὶ ν. id est causa nominatur, huiusmodi morbos procreat; unde Aegyptia et Syriaca vlera id genus appellant.
In his vero regionibus aërem, quem diximus, saepe saepius occurrere, quis nescit? *HUXHAMVS* quoque in ea, quam descripsit, epidemia aërem humidum notat, et *MALOVIN* tempestatem vndosam accusat.

§. IX.

Docent haec quoque rationem subiectorum et partium affectarum. Cum teneriora et debiliora subiecta impetum tentae causae minus bene ferre possint: infantes, pueri, puellulae et adulti debiliores affici debebant. Ad infantes tamen, lac adhuc fugentes, contagii demum auxilio morbus serpissse videtur, cum in grassationis principio, ob liberiorem sine dubio aëris externi corrupti usum, istos magis arripuerit, qui inter tertium circiter et sextum aetatis annum constituti erant. Aër denique humidus partes, quas tangit, relaxans, miasma morbi faucibus potissimum et pulmonibus inimicum reddidit.

§. X.

Ad explicanda morbi phaenomena me confero. Atque primo quidem, quod *debilitatem* attinet: illam a putrido produci, manifestum est. Vires enim corporis humani tam a certo cohaesione gradu, quam a fluidi nervi actione pendent. Nunc vero putridum cohaesionem glutinis soluit, lymphamque nutritiam corrumpit, quo sit, ut iusta et sanitati respondens solidorum cohesio persistere et restitu nequeat. Nequorum etiam fluidum male hinc afficitur. A lympham enim

De febre catarrhali maligna epidemica, angina gangraenosa slipata. 17

enim tenuissima in cerebri cerebellique substantia secernendum, si a putrido corruptum fuerit, legitime secerni non potest debitamque amittit qualitatem. Fluidum enim nerueum, naturali et sanitatis statui conformem mixtionem naectum, elasticum esse debet, quod comprobauit **ILLVSTR. EBERHARDVS** in Diss. *De actione narcoticorum in fluidum nerueum.* Vti vero putridum aeris, ita fluidi etiam neruei elasticitatem tollere et minuere valet. Contendit id recte laudatus Vir in *conspct. med. theor.* part. II. pag. 105. Schol. Huic caussae faburra primarum viarum, in nonnullis praesens, iungi debet. Dici enim vix potest, quantum exinde totum genus neruosum patiatur.

§. XI.

Hac ex debilitate sequentia explicantur: *tristitia, omnium rerum fastidium, insensilitas, quae nonnumquam adfuit, facies collapsa, emaciata et anxietas.* Imminuta neruorum actio (§. ant.) creavit insensibilitatem. Mala nutritio, laxitas vasorum absorbentium, sanguinis celerior motus faciem collapsam et emaciatam produxere. Numquid etiam neruorum et primarum viarum mala conditio? A

neruis certe et primis viis multum solet facies mutari. Debilitati et

VIZ.

C

faburrae

taburrae exparte tribuenda primarum viarum *anxietas*, quamuis laesa etiam respiratio, ut dein dicetur, eam potissimum generauerit. Atque idem de *tristitia* et *omnium rerum fastidio* statuendum.

§. XII.

A vi irritante putridi *febris* nascitur, sicut et *tuffis*, *inflammatio anginoidea*, *faucium dolor*, *laesa respiratio*, *anxietas*. Origo quoque *sitis* patet. Putridum enim, primarum viarum canalem replens, impetus febrilis, acre per sanguinis massam diffusum, frequentes sunt huius symptomatis caussae. Febris etiam impetus *urinae ruborem* produxit.

§. XIII.

Laesa respiratio, ab angina producta (§. ant.), pro ipsis gradu maior minorue esse debuit. Angina itaque magna, tumorem procreans respirationis organon angustantem, caussam suffocationis induxit, et periculosiorum morbi statum reddidit. Nam recte ILLVSTR. LUDWIG in institution. med. clin. §. 196. *Angina*, inquit, et ea, quae a pustulis, in faucibus haerentibus, et ea, quae a tumore nimio colli oritur, pessima est.

§. XIV.

§. XIV.

De foetoris illius abominabilis cauſſa ſollicitus eam facile intelliger, qui ortum huius morbi, in ſuperioribus expositum, atten- dat. Demonstratum enim eft (ſpho VII.), vbi de cauſſa morbi proxima egimus, eum natales fuos debere maſſae cuidam putridae. Quodſi putridum hocce eminentioris gradus fuerit, ſparget odorem abominabilem, eoque fortioq;em, quo magis fuerit putredo euoluta. Eiusmodi euolutio, cum in febribus acutis malignis locum habeat, neceſſe fuit, vt in caſu noſtro foetor ſeſe maniſtauerit. Praeterea notum eft, ſudorem omniaque fluida ſecreta, quae a ſanguine origi- nem trahunt, eiusmodi particulis referta eſſe debere, quas ſanguis, fe- cretioni destinatus, continent. Sed in febre hac maligna ſanguis putre- dine repletus erat, vnde fieri aliter non potuit, quin fluida ſecreta, ab eodem prouenientia, putridam indolem induerint. Sudor ergo, cum ſero, a ſanguine separato conſter: putridus eſſe debuit; hinc ratio abominabilis foetoris.

§. XV.

Impetus febrilis, a quo actio ſanguinis in latera increſcit, haemorrhagiarum exſiftit cauſſa, docente id Pathologia. Quare eiusmodi in

subiectis potuit excitari haemorrhagia, varium in primis, ut propter quam et natura febris generatim, congestiones versus caput producens, et angina ipsa, laedens respirationem et refluxum sanguinis ex capite impediens, facilitare potuit. Neque haemorrhagiarum, a morte ortarum, ratio latere potest, si cogitemus, putredinem a morte increscere, indeque, sanguine insigniter resoluto, haemorrhagias provocari potuisse.

§. XVI.

Superuacaneum foret, explicandis phaenomenis diutius inherere, cum e fundamentis pathologicis facile eorum ratio peti possit. Unicum tantum praeditis adiici debet. Docuerunt nempe observata, atque id passim supra iam notatum fuit, morbum hunc non una eademque ratione subiecta adfecisse. Vnde nam haec diuersitas? Causa morbi maior minorue et differens subiectorum constitutio eam sine dubio induxerunt. Morbi enim sequuntur subiectorum naturam et magnitudinem causarum, a quibus pendent. Atque ita in nostro quoque casu statui debet. Vnde satis differentes erui possunt morbi effectus.

§. XVII.

Pertractatis causis tam proxima, quam remotis, ordinis ratio poscit, ut in signa huius morbi inquiramus. Et diagnostica quidem, cum

De febre catarrhali maligna epidemica, angina gangraenosa stipata. 21

cum satis superque ex historia morbi a nobis delineata pateant, ne
crambem bis coquere videamur, missa facimus, prognostica paullo ac-
curatius consideratur.

§. XVIII.

Atque in ea consideratione *febris* praecipue attendenda.
Non semper haec, sed tunc demum, quando *aut* deficit, *aut* excedit,
damnanda erit, cum in hoc quoque casu, ad vires naturae medical-
trices referri debeat. Praeterea respiciendum erit ad symptomata illud
generale omnium febrium malignarum acutarum, *prostrationem* scili-
cet virium. Quodsi enim magis magisque augeatur, neque ab exan-
thematum eruptione et materiae euacuatione decrescat, vires vi-
tae magis debilitantur morbusque malignior redditur. Praete-
rea ratio habenda erit anginoidei affectus, cum notum sit,
actiones vitales per eundem laedi; quibus autem laesis, periculosior
morbī status redditur, aegrique vita periclitatur. Enimvero hoc
symptoma, docente obseruatione, vt plurimum funestum morbi sta-
tum reddit, quod ipsum casus noster manifesto monstrat. Porro
gradus putredinis et euacuationes materiae morbosae considerationem
hac in re merentur. Quodsi enim foetor materiae sit insignis, nulla

illius euacuatio, aut eius quidem excretio absque notabili leuamine contingat, exanthermata cum anxietatis aliorumque symptomatum incremento regrediantur: mala tunc prognosie formanda erit. Vomitus contra ea, sudores moderati, haemorrhagiae, cum leuamine aegrorum obuenientes, bonum morbi euentum spondent. Resciriendum quoque ad aegrorum *aetatem*. Iunioribus enim magis fatalis fuit iste morbus. Demum vitae regiminis ratio et medicamenta, in usum vocata, considerari merentur. In epidemia enim supra descripta calefacientium usus plures letho dedit. Plura de prognosi dici possent, sed pauca haec iam sufficient.

XIX.

Ordo nos dicit ad practicam argumenti tractationem. Curaturus ergo hunc, quem delineauimus, morbum, sequentes obseruet indicationes:

- I. Putridum corrigatur et congrue expellatur;
- II. Inflammationi, a putrido productae, anginae potissimum, occurritur;
- III. Vires naturae, quae dicuntur medicatrices, apte dirigantur.

§. XX.

§. XX.

Correctio putridi generatim impetratur antisepticorum vſu,
Acida tam vegetabilia, quam mineralia diluta, Camphora, Nitrum,
Cortex peruvianus hic laudem merentur. Horum vſui iungi poſſunt
potus mucilaginosi, ſucco citri acidulati, qui obuoluunt, et infuſa thee-
formia, quae diluunt acre. Legi euidem, Clar. COLDEN in litteris
ad D. FOTHERGILL datis, notare, corticem peruvianum a nonnul-
lis medicis in angina gangraenoſa ſine ſuccesſu datum fuiffe, *Vid.*
Comment. de reb. in ſc. natur. et Medic. geſtis Vol. VIII. p. 311;
interea eum WALL maximopere in eiusmodi angina laudauit (*HVTI*
Sammlung verſchied. Abbandl. von der Fieberrinde II. Th. S. 186
ſeqq.), neque minus HVXHAM, qui tamen tinteturam ſuam corticis Pe-
ruianii alexipharmacam praefert (*Oper. phys. medic.* Tom. III. p. 112).
Huc etiam referri meretur obſeruatio, *Journ. Oeconom.* in 1763 Fevr. p. 95.
Quodſi cum his PRINGLII experimenta compares et obſeruata, quae
de vſu corticis peruvianii in putridis febribus variis Medici litteris man-
darunt: de insigni huius medicamenti in angina gangraenoſa efficacitate
non dubitabis. Quae itaque contraria his obſeruata a Clar. COLDEN ad-
ducuntur, ex idiosyncrafia aegrorum quorundam, aut aliis circumſtantius,

quæ

quae vires huius corticis impedierunt, explicari debent. *Idem* Refert, *Clar. DOUGLAS* mercurium, cum camphora mixtum, felici successu adhibuisse. De camphora nil dicam, certus de eius vi antiputredinosa; mercurii autem usum fugerem in morbo ex vero putrido orto, cum sanguinem ipsomet sanum in putrileginem soluere queat. Forstian tamen plures et satis differentes anginae gangraenosae epidemiae existunt, quod *WALL* quoque innuit; hinc fieri potest, ut nonnumquam mercurius conducat.

§. XXI.

Expulsio putridi variis modis impetrari potest, quam practicus pro diuersa rerum et circumstantiarum ratione perficere tenetur. Huc pertinent infusa theiformia, emetica leniora, sulphur Antim. aur. tert. praecipit. Ipecacuanha et his similia. Clysteres quoque aut leniora laxantia, huc spectant. Demum vero quae putrido resistunt (§. ant.), roborando corpus, excretionem insimul cutaneam promouere solent.

§. XXII.

Ad explicandam secundam indicationem me accingens, superfluum fore censeo, si methodum medendi, inflammationibus generatim et anginae dicatam, ex Therapia tam generali, quam speciali notam,

notam, repetere vellem. Nonnulla ergo momenta paucis tantum notabo, quae ad gangraenosam hanc et ulcerosam anginam pertinent. Atque ista quidem remediorum antiphlogisticorum usum in eadem respiciunt. Scimus eam plerumque virium defectum comitari. Quare remedia alia antiphlogistica, quae vires corporis infringunt, venaelectiones scilicet, largior nitroforum usus, etc. minus contra eam, quam vulgares valent inflammationes. Nisi itaque, ob quamcunque caussam, satis insignis obseruetur sanguinis orgasmus, ab eiusmodi remedii eorumque imprimis largiore usu abstinentur. Atque haec urgent quoque Scriptores, qui curationem huius anginae suppeditarunt, nostraque ipsa epidemia passim fatalem venaelectionis admissae effectum confirmavit. Ceterum vapores acidos et antisепticos, respirationis ope ad fauces ductos, insigniter hic laudat WALL.

§. XXIII.

Vt denique tertiae indicationi satisfiat: febris, vomitus, tussis apte dirigi debent. Non supprimenda est febris, sed moderanda tantum, si forsitan, quod tamen rarius hic fit, excedat, idque antiphlogisticis; aut excitanda analepticis et roborantibus, quando deficere videatur. Cui scopo antiputredinosa varia dicta, radix

D

serpent.

serpent. virg. et similia respondent. Neque vomitus, haemorrhagiae cum leuamine fortæ, tussis, suppressionem hic admittunt, cum aut materialm nociam expellant, aut certe symptomata morbi leuant. Apud itaque auxiliis, adiunari debent, si vires naturæ, sibi reliæ, non sufficere videantur.

§. XXIV.

Demum congrua vitae ratio commendanda. Abstinendum a carnis, aëre calido et calefacientium usu, quorum lethales in his morbis effectus viuidissimis coloribus tor iam in arte Viri depinxerunt. Nec, morbo ipso superato, remedia roborantia, leniora laxantia aliaque omitti debent, quae relictis nonnullis symptomatis tollendis lenientis disue destinanda esse, ars medica praecepit.

F I N I S.

NOBI-

NOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO
C A N D I D A T O

S.

P R A E S E S.

*Quum, quod tibi laetus gratuler, CANDIDATE ORNATISSIME,
solidam, quam amplexus es, salutaris scientiae cognitionem, singula-
ribus quibusdam obseruationibus, Speciminis inauguralis loco, demon-
straueris, meque adiutorem testemque eruditionis rogaueris: honesto
buic petito deesse nolui, sed eo lubentius in me suscepit officium, quo
magis cognouerim, te non intempestiuos, neque a meritis tuis alie-
nos anhelare honores, sed dignum te prius ipsis reddidisse maturos-
que expectasse. Ex eo enim tempore, quo in REGIA nostra FIDE-
RICIANA optimis innutritus fuisti studiis, atque Praeceptoribus
ingenio, industria, modestia, honestate innotuisti, optimam de te con-
cepimus spem. Confirmasti expectationem, quam de te habuit Illu-*

D 2

flris

flris Ordo medicus, et cui etiam in binis, quae ex legum praescripto subiisti examinibus, fecisti satis. Quare cum optimis optime imbutus scientiis cathedram nunc dignus adscendas, de iis, quae omnium adplausum merentur, ex intimo animi affectu tibi gratulator, vereque gratulor, praeincipue cum Splendidae TVAE Familiae, gaudium solemmi hocce, qui tibi alisque felix illuxit die, excitaueris. Gratulor igitur tibi de elegante ueque ac utili exhibito Specimine, proprio, ut aiunt, marte conscripto, deque honoribus Doctoribus, mox, praemii loco, ex merito tibi conferendis, immo non de praesente tantum dignitate, verum futura etiam, quae te comitabitur, felicitate, optoque, ut Illustribus PARENTIBVS et Honoratissimis COGNATIS TVIS bonori, Reipublicae medicae ornamento, et tot aegrotis solatio viuas felix beatusque quam diutissime. Et sic bene tibi dicat Deus, rebusque TVIS perpetuam largiatur felicitatem. Vale! Dabam Halae d. XVIII. Februar. 1568.

VIRO



V I R O
PRAENOBILISSIMO DOCTISSIMO QVE,
C. G. C. H E R T Z O G
SVMMORVM IN MEDICINA HONORVM
CANDIDATO
DIGNISSIMO, AMICO OPTIMO,
S. P. D.
CAROLVS BENIAMIN RVFFERVS
M. C. SIL. OPPONENS.

*Non possum, quin tibi, amice aestymatissime, magnopere
gratuler hunc diem, quo vitam academicam, cum perpetua honestatis
atque industriae, nunquam defessae, laude gestam, ad glorijsun atque
exoptatum perducis exitum. Nam cum te primum cognoscerem, ho-
nestate, modestia et sedulitate nulli quicquam concedentem, plurimis
autem palmam praeripientem, statim ab illo tempore te diligere, et
de studiorum tuorum successu optime sperare coepi. Neque opinio,*

D 3

quam



quam de te conceperam, me fecellit. Docet hoc egrégium, quod edidisti,
Specimen. Iam iam tibi dies apparebit, quo praemia tuae acci-
pies industriae. Quid vero dicam de amore tuo erga me sincerri-
mo. tu mibi ad omnia, quae iam praebuisti, amicitiae documenta,
istud addere voluisti, ut mibi officium tradideris aduersarii. Non ad-
uersarii vero, sed amici et resis de ipsis honoribus summis, qui tibi a
gratioso Medicorum Ordine sunt decreti. Gratulor itaque tibi de ipsis
iustis diligentiae tuae et eruditionis praemiis, atque, ut iis diutissime
saluus ac incolmus, in tuam, familiæ tuae splendidis-
simæ laetitiam, amicorum tuorum voluptatem, atque aegroto-
rum, qui tuae committentur curae, emolumentum, fruaris, ex animo
appreco. Me vero, quo me ad hunc usque diem amplexus es amore,
ut impositerum quoque amplecti pergas, per mutuam nostram amici-
tiam oro te atque obtestor, tibiique persuadeas, esse paucos, qui
mibi sint in te amando pares. Vale. Dabam Halae ad Salam die
XVIII. Mens. Febr. A. O. R. MDCCCLXVIII.

VIRO

NONNVS V I R O

PRAENOBILISSIMO ET AMICISSIMO,

C. G. C. H E R T Z O G

SVMMORVM IN MEDICINA HONORVM

CANDIDATO

LONGE DIGNISSIMO,

S. P. D.

IOANNES ERNESTVS STAHL

M. C. OFFON.

*O*blata nunc demum opportunitate, quam saepius optauit, publicum aliquod amoris erga te mei monumentum tibi fisciendi, magnopere laetor. Ex eo enim tempore, quo propius te noscere coepit, praeclararum tuarum ingenium, doctrinam, et plane eximias virtutes admiratus, non potui non, quin te dilexerim et amauerim. Quid itaque potest iucundius mihi contingere, quam ut te, iam cathedram ascendentem, summos in arte nostra honores, diu promeritos, impetrare videam. Haec igitur conatus tuis dignissima praemia, propediem in te conferenda, ex animo gratulor. Gratulor Illustri tuo Parenti de filio tantae spei, splendidissimae tuae Genti cognato eius decore et ornamento, patriae de cine optimo, aegrotis de Medico eruditissimo atque solertissimo, mihi que demum ipse de te amico. Nec nisi preces subiungam, ut in posterum quoque, quo hucusque amplexus es, dignari me velis amore, et pro certo persuasum tibi habeas, me magis tibi neminem esse deuinatum. Vale. Damnam Halae ad Salam. d. XVIII. Februar. MDCCCLXVIII.

VIRO



OVIRO
PRAENOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO,
AMICO HONORATISSIMO,
S. P. D.
IOANNES FRIDERICVS ANDREAE

M. C. ET OPP.

Iam in eo es, AMICE PRAESTANTISSIME, ut, vitae TVAE academicæ
stadio glorioſſime abſoluto, lauream petas medicam TIBI decretam, tanquam
aliquid praemium optime promeritum pro laboribus TVIS academicis, proque
egregia ac profundiori TVA in re ſalutari eruditione, quam adiuuante ingenii
TVI felicitate et indefeffae plane induſtriae auxilio naclus ex. Quae cum ita fint,
certe ego prorsus ingratus videver, atque indignus iſius amici, quo me condecorare
voluiſti, nominis, apud me ſemper aſſumptiſſimi, iiji occafionem hanc
exoptatiſſimam auaris arriperem manibus, inſigne meum gaudium, ex diei ſequiſſe
felliuitate enatum, teſiſcandi, animi mei erga te propenſionem, amorem ac
reuerentiam, quantum per paginae exiguitatem licet, declarandi, atque dein
TIBI ex animo gratulandi de Honoribus Doctoralibus, mox in te conſerendis.
Hisce insuper vota addere prae omnibus mihi incumbit TVA pro felicitate re-
rumque omnium ſuccetu ſecundiffimo fauifſimoque. Perge itaque agere
ſic, ut prospere TIBI eueniant omnia in Parentium illuſtrium TVORVM or-
namen tum atque gaudium, in Familiae TVAE ſplendidiffimae decus, multo-
rumque aegrotorum ſolatium. Incundius mihi ſane nihil acciderit, quam
ſi votis meis ardentiffimis hisce cuncta competere experiar, ſaepiffimeque per-
ſuadear de eo, quod memor adhuc ſis mei, amicitiaeque noſtræ, cuius fla-
bilitatem ac vigorem ita conſervare velis, vii ego valdopere opto atque enixi
te rogo. Vale. Dabam Halae ad Salam die XVIII Februar. MDCLXIX.

160

Diss. med. Kalk,
Med. Diss.,
1758-68.

ULB Halle
002 830 728

3



SB

Rheo





DE
**FEBRE
 CATARRHALI MALIGNA
 EPIDEMICA
 ANGINA GANGRAENOSA
 STIPATA**

PRAESIDE
 VIRO ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO
 DOMINO

D. PHILIPPO ADOLPH. BOEHMERO

MEDICINAE ANATOM. ET CHIRVRG. P. P. ORDINARIO,
 ACADEMIAE CAESAR. NAT. CVRIOS. ITEMQVE IMPERIAL
 PETROPOL. NEC NON REGIAR. BEROL. SCIENT. ET PARIS.
 CHIRVRGOR. SODALI.

PRO

G R A D V D O C T O R I S

SVMMISQVE IN ARTE MEDICA HONORIBVS RITE CAPESSENDIS

D. XVIII. FEBR. CLO CC LXVIII,

PVBЛИCE DISPVTABIT

AVCTOR

CHRISTIANVS GOTTLLOB CONRAD HERTZOG

ANHALTINVS.

 HALAE AD SALAM AERE BEYERIANO.